

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**De influxu dogmatis reformatorum de sacra coena in
praxin fidei et pietatis, quanto et quali?**

**Pfaff, Christoph Matthaeus
Hochstetter, Gottfried Ulrich**

Tubingae, 1720

Thesis X.

[urn:nbn:de:bsz:31-130755](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130755)

Thesis IX.

Non sequitur, si transsubstantiatio fundamentum fidei tollat, (quod tamen ipsum, si in se illa spectetur, haud liquet,) ut & figura Reformato- rum id tollat *. Imò nec hoc sequitur, si error hic fundamentalis sit, quo Romana Ecclesia sacramentum Eucharistiæ mutilat & calice eos, qui non consecrant, privat, (id quod rursus non liquet,) ut Reformato- rum dogma, quo materiam sacramenti Eucharistici cœlestem penitùs tollere dicuntur, fundamentum fidei jugulet.

* Ratio est, quia transsubstantiationis sequelæ perniciosiores sunt, quàm figuræ, etiam nudæ.

** Ratio est, quia error Romanæ Ecclesiæ evidentissimè verbis institutionis contradicit, ast lis illa inter nos & Reformatos de præsentia reali Eucharistica multis dubiis, multis tenebris, multis difficultatibus involvitur.

Thesis X.

Cum Reformati panem & vinum nuda signa esse haud existiment sed exhibitiva illa esse ajant & collativa *, patet, eos fontem solatii è S. Cœnâ manentem haud obstruere.

* Pla-

* Placet hinc audire S A M. WERENFELSIUM, Theologum Basiliensem celeberrimum. Ita autem ille: *Ut clarius intelligatur natura signorum à Christo hic institutorum, distinguenda sunt signa. Sunt signa, quæ quidem rem significant, sed quorum traditio non significat traditionem rei, v. g. si quis mihi tradit delineationem urbis alicujus, hoc ipso non significat, se urbem quoque ipsam tradere. Sunt deinde signa, quorum traditione significatur traditio ipsius rei signata: ut cum Principi urbem obsidenti claves ejus à Proceribus traduntur: aut cum ab iis, qui jus habent eligendi Regem, alicui ex Proceribus solemniter traditur sceptrum & corona. Panis & vinum in S. Cœnâ sunt symbola posterioris generis. Addit idem: Verba Christi eam habent significationem, quam haberent verba Procerum civitatis alicujus, qui Regem urbem obsidentem, sese dedentes atque in hunc finem claves urbis porridentes, ita alloquerentur: Accipe, Rex, hoc est dominium in civitatem nostram, quod tibi à civibus traditur: aut si Principi à Proceribus regni alicujus solemniter porrigeretur sceptrum & corona his verbis: Accipe, hoc est regnum, quod tibi ab ordinibus confertur. , Hæc WERENFELSIUS in diss. in verba Domini hoc est corpus meum C. 2. in medio. Itaque ergo signis eucharisticis juxta Reformatos traditur ipsum corpus, ipse sanguis Christi, spiritualiter manducandum illud, spiritualiter bibendus hic. Jam & cum mediantibus pane & vino, quæ ore corporis accipiuntur, corpus & sanguis Christi spiritualiter accipiantur & eatenus quoque, non quidem immediatè sic sed mediatè ore corporis accipi dici possint, nec absentia sint nisi physicè, localiter, circumscriptivè, aut præsentia symbolicè, spirituali, cœlesti & divino modo, quæ omnia & nostram sententiam plenam exprimunt & à Reformatis haud negantur, solatium è S. Cœnâ manans & apud Reformatos sartum tectumque manet.*